



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

Sectio Prima. Advertentiæ ad argumentorum solutianem pernecessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

Antiqui Probabilistæ, seu primi recenter elapsi sæculi Theologi docuerint, non tantum quod sequi liceat minus probabilem materialiter, seu quæ communiter judicatur minus probabilis, operanti tamen est proba-


bilior; sed etiam quòd sequi liceat minus probabilem formaliter, & reduplicative, seu quæ operanti apparet minus probabilem.

DISPUTATIO XIV.

Argumenta Contrariorum ex eo quia in plerisque materijs datur obligatio sequendi tutius, vel probabilius.

SUMMARIUM.

Epitome objectionum, n. 1.

N. 1.  CCE objectio in epitomen redacta, cujus solutioni disputatio præfata infudat: Tenemur in materia fidei, & religionis, in materia charitatis corporalis, & spiritualis, in materia iustitiæ strictè, & latè sumptæ ad tutius, & probabilius: ergo in omnium aliarum virtutum materia: ergo datur lex obligans ad tutius, & probabilius; aut saltem obligans, vel ad tutius, vel ad probabilius.

SECTIO I.

Advertentia ad argumentorum solutionem perneccessaria.

§. I.

Aliqua.

SUMMARIUM.

Argumenta contraria sunt ex pravâ intelligentiâ, n. 2.

Etsi doceam licere in omni materia, non inde sequitur licere ministrare Sacramenta sub materia, & formâ probabili, omisâ certâ, n. 3.

Alia consequentia illegitima, n. 4.

Quid liceat in materia Sacramentorum ex P. de la Fuente, & alijs? n. 5.

Adversarij, quia nos non rectè intelligunt, nec rectè impugnant, n. 6.

Sive nostra sententia limitetur, ita ut in materia Sacramentorum, ex. gr. non liceat, sive non limitetur, ita ut etiam tunc liceat, nunquam inferri potest, licere ex. gr. uti materia probabili, relicta certâ. Explico fuse, à n. 7.

Loquimur semper de minus probabili practice, n. 8.

Sicut ex Probabilistarum sententiâ non sequitur

licitum, omisâ materia certâ, uti probabiliteri, ita nec ex nostrâ, uti probabili, n. 9.

Omnes Adversarij respondere tenentur paritibus objectionis, ibid.

Quam ardua intellectu sit questio de probabilitate; & cur? n. 10. & 15.

Duplex transitus, & confusio, a speculativa probabilitate ad practicam; & a questione directâ ad reflexam. Explico, n. 11. 12.

Potest aliquid esse directè probabile, & ob novam circumstantiam fieri reflexè improbabile, n. 13. 14.

P Ræter nullitatem sequentium argumentorum, quam indirectè ostensus sum, retorquendo eadem in Adversarios; ut ea directè solvam, accuratè, & diligenter advertenda sunt, quæ sequuntur; patebit enim ea non esse ad rem, & ex malâ intelligentiâ nostræ doctrinæ oriri; immò totum quod in nos movent Adversarij, illud ipsum in se ipsos movent.

Adverte 1, quòd etsi nos doceamus licere N. in omni materia etiam Sacramentorum, ut rectè P. Card. tom. 3. d. 56. cap. 17. art. 3. & P. Teril. de Reg. Mor. qu. 11. & qu. 22. & P. Teril. M. Joan. à S. Thom. 1. 2. qu. 18. d. 12. art. 3. & alij passim, licere, inquam, sequi quamlibet opinionem certò practice probabilem; non tamen docemus 1. posse nos sequi opinionem cujusque Summistæ, immò Theologi; nam plures Summistarum, aut alicujus Theologi opinionem carent tum auctoritate omni exceptione maiori, tum ratione solidâ etiam respectivè. Secundò non docemus posse licitè ministrari Sacramenta in materia, aut formâ probabili, præsentè certâ, hoc enim est certò illicitum, cum certum sit illicitum esse Sacramenta exponere frustrationi. Tertio nõ docemus, posse nos in mortis articulo uti medijs probabilibus, relictis certis; immò dico ego hoc non licere etiam extra mortis

mortis articulum; nemini enim licet exponere se probabili damnationis periculo, omisso certo salutis medio. Quarto non docemus posse medicum uti pharmaco probabili, relicto certo; hoc enim est certo improbabile ex præcepto charitatis. Quinto non docemus posse venatorem jaculari in objectum putatum probabiliter hominem; hoc enim ex eodem charitatis præcepto est certo illicitum. Sexto non docemus posse Judicem damnare probabiliter reum; hoc enim est certo improbabile tum ex charitate, tum ex iustitiâ obligante, ne certæ morti adjudicetur homo probabiliter tantum reus. Septimo non docemus licitum esse uti opinione probabili vergente in damnum proprium, aut alienum; eo enim ipso quod taliter vergit, est certo improbabile. Octavo non docemus licitum esse movere bellum ex solâ causâ probabili; hoc enim etiam est improbabile. Hæc P. Card. *l.c.* ex quo addo sequentia, neque enim transcribere pudet, ubi possum doceri.

N. 4. Ait itaque, quod omne antecedens sequentium enthymematum sit verum, & omne consequens sit falsum. Primum est, Licet sequi omnem opinionem etiam minus, practicè tamen probabilem in omni materiâ: ergo licet sequi omnem cujuscvis Authoris opinionem. Falsa est consequentia; quia plures carentium auctoritate omni exceptione maiori, tum ratione solidâ. Secundum est, Licet sequi omnem opinionem etiam minus practicè probabilem in materiâ Sacramentorum: ergo licet ministrare Sacramenta in materiâ, vel formâ tantum probabiliter validâ, relicta certâ. Falsa est consequentia; quia certum est præceptum non frustrandi Sacramenta. Tertium est, Licet ethnico in materiâ fidei sequi opinionem minus practicè probabilem: ergo licet ethnico sequi religionem minus probabilem. Falsa est consequentia; quia hæc non est practicè, sed tantum speculativè minus probabilis, & non valet consequentia à licito usu opinionis minus practicè probabilis, ad licitum usum opinionis speculativè minus probabilis, nam quod talis opinio, seu religio sit minus probabilis, non est praxis, sed speculatio. Quartum est, Licet sequi opinionem practicè minus probabilem etiam in articulo mortis: ergo licet uti medio tantum probabiliter profuturo salutis æternæ, relicto certo. Falsa est consequentia; quia non licet exponere se probabili damnationis periculo. Quintum est, Licet medico uti opinione etiam minus probabili: ergo licet medico uti medicinâ minus probabili, relicta certâ. Falsa est consequentia; quia medico non licet exponere

Tom. II.

periculo probabili hominem, cui potest certo dare salutem. Sextum est, Licet venatori in jaculando sequi opinionem minus practicè probabilem: ergo licet ei jaculari in objectum creditum probabiliter feram. Falsa est consequentia; quia hoc est certo vetitum à præcepto charitatis. Septimum est, Licet Judici in judicando sequi opinionem minus practicè probabilem: ergo licet ei damnare probabiliter tantum reum. Falsa est consequentia, quia hoc non est minus probabile, sed certo improbabile. Octavum est, Licet universaliter, & sine ullâ limitatione sequi omnem opinionem minus probabilem practicè: ergo licet omnis opinio vergens in damnum proprium, & alienum. Falsa est consequentia; quia si vergit, est certo improbabile ex præcepto charitatis. Nonum est, Certo licet sequi opinionem minus probabilem: ergo omnis opinio probabilis est certa. Falsa est consequentia; quia aliud est, quod certum sit opinionem A esse probabilem, aliud est, quod opinio probabilis sit certa, nisi eâ certitudine de quâ ego infra. Pleraque acutè, & rectè P. Card. qui rem totam scitè digerit *l.c. n. 10. & tom. 4. disp. 2. à n. 1.* ubi explicat, quæ sit tutior.

Idem egregiè discuit P. de la Fuente *diff. 2. cap. 4.* ubi doctè examinat quandonam in materiâ Sacramentorum liceat sequi opinionem probabilem circa valorem, & omittere tutiorem. Idem meo iudicio præmonuerat Illustr. Tapia *rom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 15.* ubi quaerens, an in extremâ, aut gravi necessitate licitum sit eligere minus tutam minus probabilem, respondet, quod sæpe urgente necessitate salutis spiritualis, aut corporalis, opinio minus tuta, etsi probabilis ex se, tunc non sit practicè probabilis; & ideo ait, quod in extremâ necessitate salutis spiritualis, & corporalis non sit licitum eligere, aut consulere opinionem probabilem, aut probabiliorè, si sit minus tuta: immò hoc ipsum dicit de gravi necessitate, quia in his casibus utens opinione minus tutâ, etsi probabiliori, est in periculo (ut supponitur) causandi sibi, aut alijs damnum irreparabile. Subdit tamen *n. 4.* quod patiens necessitatem, poterit eligere minus tutam, quia quilibet potest juri suo cedere, & exponere se periculo gravis mali poenæ, dummodo non sit irreparabile; & citat P. Suar. *rom. 3. in 3. p. disp. 16. sect. 2.* & P. Vasqu. *1. 2. d. 63. cap. 3.* & P. Sanch. *lib. 1. Sum. cap. 9. n. 34.*

Hinc colligitur, quod quia Adversarij non rectè nostram doctrinam intelligunt, ita non rectè eam impugnant. Immo addo ego, quod cum plures Probabilistæ nostram, &

Gg ij suam

N. 5. P. de la Fuente. M. Tap.

P. Suar. P. Vasq. P. Sanch.

fuiam sententiam non ex toto assequantur, ideo doctrinam universaliter veram de heito usu cuiusvis opinionis minus probabilis practicæ, limitare voluerint in materiâ Sacramentorum, religionis, iustitiæ, & alijs; licet autem hoc laudari possit, attamen si res penetraretur, limitanda non est, & adhuc verum erit, quod non liceat uti materiâ, & formâ probabili, præsentē certâ; & quod non liceat sequi religionem minus probabilem, præsentē probabiliori; & sic de alijs. Ratio est evidens; quia difficultas non est in maiori, sed in minori, quæ supponitur minus probabilis practicæ; cum tamen sapissimè sit, vel improbabilis practicæ, vel non nisi speculative probabilis, non autem practicæ.

N. 7. Explico, & formo hunc syllogismum: *Licet sequi opinionem minus probabilem practicæ in materiâ Sacramentorum: sed opinio docens licitum uti materiâ, & formâ tantum probabiliter validâ, præsentē certâ, est minus probabilis practicæ: ergo licet eâ uti.* Ecce Probabilistæ, qui nostram sententiam limitant, ideo limitant, nè concedatur licitum esse uti materiâ, & formâ probabiliter tantum validâ, præsentē certâ; sed adhuc concessâ sine ulla limitatione maiori, ut universalissimè verâ, nempe, *licitum esse sequi etiam in materiâ Sacramentorum opinionem minus probabilem practicæ*, ut expresse concedit P. Teril. P. Card. M. Joan. à S. Thom. qui ait, quod sit regula generalis, & universaliter vera pro omnibus actionibus moralibus, quod licitum sit sequi sententiam certò probabilem practicæ, etsi oppositum appareat probabilius, & tutius; atque adeo cum ministrare Sacramenta, iudicare, & similia sint actiones morales, licebit quoque in his sequi minus probabilem practicæ. Sed adhuc, inquam, concessâ sine ulla limitatione, & ut universalissimè verâ eâ maiori, non sequitur *licitum esse uti materiâ, & formâ probabiliter tantum validâ, præsentē certâ*; nam hæc minor non est minus probabilis practicæ, sed est certò improbabilis practicæ: ergo non est, quod doctrina limitetur, & ideo ego expresse dixi d. 11. n. 2. quod ubi adest opinio certò probabilis practicæ, licet in omni materiâ eam sequi, etsi sit minus tuta, & minus probabilis practicæ, etiam præsentē tutiori probabiliori.

N. 8. Nos igitur cum nostræ sententiæ Patronis convenimus in negando, *licitum esse ministrare Sacramenta sub materiâ, & formâ probabiliter tantum validâ, præsentē certâ.* Disconvenimus ab illis, quia illi putant, quod si universalissimè concedatur licere utrum cuiusvis opinionis minus probabilis practicæ

etiam in materiâ fidei, & religionis, & iustitiæ, sequantur absurda, quæ infirmamus; at negamus ea sequi, quia dicimus omnes minores esse falsas, quatenus nulla ex illis est minus probabilis practicæ; sed quilibet est certò improbabilis practicæ, eo quia contra se habet certum aliquod principium, vel præceptum: & ut res manifesta sit, sumo paritatem Iudicis, Venatoris, aut Candidati Religionis; si fiat syllogismus, illico constabit, quod minor, aut sequela sint falsæ. Ita enim formo argumentum: *Licet Iudici sequi minus probabilem practicæ: sed opinio docens licitum ei esse damnare probabiliter reum, est minus probabilis practicæ: ergo licet Iudici hanc sequi.* Ecce minor est evidenter falsus; quia certum est præceptum charitatis, & iustitiæ obligans Iudicem, nè certâ mortis sententiâ damnet hominem probabiliter tantum reum. Similiter si dicatur, *Si licet in omni materiâ sequi opinionem minus probabilem practicæ, licebit tum Ministro uti materiâ, & formâ tantum probabili, tum Iudici damnare probabiliter tantum reum.* Ecce negandum est suppositum, supponitur enim, quod opinio asserens licere uti materiâ, & formâ probabiliter tantum validâ, præsentē certâ, & licere certam mortis dicere sententiam in probabiliter tantum reum, sit opinio minus probabilis practicæ, cum utraque sit certò improbabilis.

Confirmo meam doctrinam instantiâ irrefragabili: Etenim ostendam omnes Adversarios, sive sint Tutoristæ, sive Probabilioristæ, teneri argumentis, quæ contra nos formant, responderi: ergo dictæ sequelæ, quod licitum erit ministrare Sacramenta in materiâ, & formâ probabiliter tantum validâ; & quod licitum erit jaculari in objectum putatum probabiliter feram, non oriuntur ex utroque licito opinionis minus probabilis practicæ. Fac enim, ut quis, non dico tamquam minus, sed tamquam probabiliorum supponat sententiam docentem, licitum esse ministrare Sacramenta in materiâ tantum probabiliter validâ; ecce ita arguam contra illum: *Licitum, immò obligatorium est sequi sententiam probabiliorum: sed sententia affirmans licitum conficere Sacramentum in materiâ tantum probabiliter validâ, est probabilior oppositâ negante: ergo licitum, immò obligatorium est conficere Sacramentum in materiâ tantum probabiliter validâ.* Sanè sapiens Probabiliorista dicit, falsum esse, quod sententia affirmans licere conficere Sacramentum in materiâ tantum probabiliter validâ, sit probabilior oppositâ negante; atque adeo ex sententiâ obligante ad

probabilius non sequitur licitum esse ministrare Sacramenta in materia tantum probabiliter valida, sed sequi ex eo, quia supponitur, quod sententia affirmans licitum conficere Sacramenta in materia tantum probabiliter valida, sit probabilior negante; quod est prorsus falsum. Ita dico ego, quod ex eo quia admittamus licitum ulum opinionis minus probabilis practice etiam in materia Sacramentorum, non sequitur, quod liceat conficere Sacramenta in materia tantum probabiliter valida, sed sequitur ex eo quia Adversarij supponunt, quod sententia affirmans licitum conficere Sacramentum in materia tantum probabiliter valida, sit probabilis, et si minus, quam sit opposita negans illud licere; cum tamen sententia affirmans nullo modo sit probabilis practice, immo certo improbabilis, quia habet contra se certum religionis preceptum, ne quis sine necessitate exponat Sacramenta frustrationi: ergo tam Probabilioriste, aut Tutoriste trahentes contra nos allata absurda, quam Probabilitate, qui ut illa vitarent, doctrinam universalissimam veram limitare conati sunt, rem forte non ex toto penetrarunt; adhuc enim seclusa omni limitatione nullum sequitur ex dictis absurdum, cum quodlibet sit opinio improbabilis practice, non autem sit opinio minus probabilis practice.

N. 10. Adverte 2. insinuata argumenta difficultatem ingerere posse illis, qui probabilitatis materiam non perfecte callent; saepe enim monui, quod si qua est in tota Theologia quaestio difficilis, est quaestio de probabilitate; haec enim quaestio, an liceat usus opinionis minus probabilis practice, est tota reflexa; adeoque non mirum si robusto, & acuto egeat intellectu: acuto, ut distinguat directe probabile a reflexe probabili, aut a non probabili directe; & speculative probabile a practice probabili, aut non probabili practice: robusto, ne facile ab uno ad aliud trahatur. Cum autem duae tam eximiae qualitates raro coniungantur, & inveniuntur, hinc non mirum, si tam ab aliquibus nostrae sententiae Patronis, quam ab aliquibus Adversarijs exacte non penetretur. Fatentur hanc difficultatem tum Anti-Probabilitate, tum Probabilitate; etenim P. Eliz. lib. 2. qu. 10. §. 3. ad finem, dixit: *Hac vox probabile, ut semper dolemus, est magis equivoca, & minus intellecta*; & M. Jac. a S. Dom. apud P. Card. tom. 3. d. 56. n. 186. scribit: *Scio rem probabilitatis non ab omnibus recte intelligi, praecipue ubi sit reflexio supra probabilitatem*; & Palanc. alias ingeniosus qu. 28. n. 291. & alibi saepe ait *tales reflexiones esse captu difficilissimas*. Et Tom. II.

Caram. lib. 4. Theol. Mor. Fund. 1. p. *Dialecticis* n. 290. pag. mibi 117. ait, se nolle suam audacem ignorantiam dissimulare, fatendo plures doctos ne quidem attigisse difficultatem probabilitatum; & subdit: *Qui certitudinem in iudicij practici bonitate requirunt, rem certam nos docent; qui autem in veritate, nondum difficultatem comprehenderunt*. Et P. Terillius de Reg. mor. qu. 2. a n. 15. ait, *neminem in proprio sensu impugnasse benignam sententiam, immo ne quidem ad scopum collimasse; multo minus attigisse*, quod egregie, & fuisse declarat. Ut autem hoc ipsum magis constet, & magis ad sequentium paritatum solutionem accedam, ostendere opus est duplicem, quae in illis intervenit, confusionem. Prima est transitus a probabilitate speculative ad inferendam dari quoque probabilitatem practicam. Secunda est a probabilitate quaestiois directae ad probabilitatem quaestiois reflexae. Utrumque explico.

Explico primum; quod potus A non fit probabiliter, immo non fit probabilis venenum; quod liquor A sit probabiliter, immo probabilis aqua; quod objectum A sit probabiliter, aut probabilis fera; quod homo sit probabiliter, aut probabilis reus, sunt iudicia pure speculative; non enim habent pro objecto praxim; nam habent pro objecto, venenum, liquorem; hominem, reatum: si ergo sunt iudicia pure speculative, constat evidenter, quantum devient, qui ex eo quod aliquid sit speculative probabile, immo probabilis, inferunt deinde probabilitatem practicam: ergo qui ex probabilitate, immo probabilitate speculative directae objecti inferre praetendunt in eadem materia probabilitatem practicam reflexam de licentia actionis circa tale objectum probabiliter, aut probabilis tale, aut quale, toto Caelo errant; quia saepissime contra reflexam probabilitatem dari potest principium, aut praecipuum certum tollens omnem probabilitatem reflexam, ut datur in casibus nobis objiciendis; nam datur ex. gr. certum charitatis praecipuum, ne quis jaculetur in objectum, quod non tantum probabiliter, seu probabilis apparet fera; hoc autem praecipuum certum facit, ne sit practice probabile jaculatio in objectum directe probabilis putatum feram.

Explico secundum. Potest aliquid esse directe probabile practice, & tamen ob aliquam circumstantiam advenientem esse reflexe improbabile practice: demus ex. gr. quod sit directe probabile practice valere Baptismum in xivio, immo demus esse evidenter directe licitum edere carnes homini Gg iij infir-

infirmo; potest tamen hoc ipsum evidenter directè licitum, ob circumstantiam de novo advenientem fieri reflexè illicitum. Pater hoc in Carthusiano habente votum non edendi carnes, etsi infirmus sit: ergo transitus à probabilitate directà ad reflexam, est illegitimus, quia potest in questione reflexà superaddi circumstantia aliqua tollens probabilitatem directà, & tunc non valet à directà ad reflexam. Ut autem hoc evidenter constet, demus me emisisse votum sequendi semper tutiorem, dummodo probabilem, omisâ probabiliori minùs tutâ: ecce in hoc casu illad ipsum, quod est directè probabilius licitum, etsi sit minùs tutum, est evidenter reflexè illicitum ob votum superadditum, quo me obligavi ad tutius semper, dummodo probabile; & malè quis argueret, Est probabilius, quod modicum per diem semel sumptum non frangat jejunium: ergo licebit mihi illud modicum fumere. Consequentia erit falsa; quia cum ea opinio stet pro libertate, licet sit probabilior, & ego votum emissem sequendi tutiorem pro lege, etsi minùs probabilem, ideo ratione voti non est mihi reflexè probabile, quod directè est probabilius licitum. Idem dico de eo, qui votum emitteret sequendi semper probabiliozem, etsi minùs tutam, cui quod est directè tutius, fieret reflexè non tutum. Hæc duo si ponderarentur, pauca contra nos objicerentur. Sed ad maiorem ubertatem

N. Adverte 3. ex P. Card. tom. 3. d. 55. quod licet verum sit, licitum in omni materia festi qui quamlibet certò probabilem practicè, potest tamen ex circumstantiâ superadditâ contingere, ut eam licitè sequi interdum non possimus: & hoc ipsum, ut dixi paulò antè, dicere debent tam Tutioristæ, quàm Probabilioristæ: ex. gr. si quis se ex voto obligaret non sequi minùs probabilem, tunc eam sequi non possèt; eo modo, quo si quis se ex voto obligaret sequi semper tutiorem dummodo probabilem, tunc probabiliozem minùs tutam sequi non possèt; & eo modo, quo si quis se ex voto obligaret sequi semper probabiliozem, tunc tutiorem minùs probabilem sequi non possèt. Quod autem dico de voto, idem dico de præcepto: si enim præceptum superveniat, tunc licitum non erit sequi minùs probabilem: quapropter ratione circumstantiæ supervenientis opinio, quæ antea erat probabilis, immò probabilior, aut tutior, non manet amplius talis. Hinc in pluribus materijs summa diligentia distinguendæ sunt quæstiones directæ à reflexis, seu à reflectentibus supra probabi-

litatem, immò probabilitatem, aut tutioritatem ipsius propositionis directæ: & qui ex directâ inferunt reflexam, errant: errant autem, quia quæstio reflexa addit novam circumstantiam, quæ non aderat in directâ, & ideo ut nullitatem argumentorum ostendam, eadem retorquebo, ostendendo probare, ne quidem nos sequi posse tutiorem, aut probabiliozem, inferendo, servatâ eadem arguendi methodo, quâ contra nos Adversarij utuntur, inferendo, inquam, ex probabilitate directâ probabilitatem reflexam: ex. gr. Probabilis est objectum esse feram: ergo probabilius est, quod possim in illud jacuari, cum tamen consequentia sit evidenter falsa. Falluntur igitur Adversarij, qui ex probabilitate directâ inferunt reflexam: ex. gr. Probabile est validum esse Baptismum in lixivio: ergo probabile est licere, seclusâ necessitate, conficere Baptismum in lixivio. Consequentia est falsa; quia præceptum charitatis tollit licentiam extra casum necessitatis. Sicut ego falleret, si ita contra Probabilioritas arguerem, Probabilis est validum esse Baptismum in lixivio: ergo est probabilius licere, seclusâ necessitate, conficere Baptismum in lixivio; sed hoc est falsum: ergo falsum est licere sequi opinionem probabiliozem. Errarem, inquam, si ita arguerem; quia præceptum charitatis superveniens probabilitati, aut probabilitati directæ tollit licentiam conficiendi, seclusâ necessitate, Baptismum in lixivio.

Confirmo; quia quod dixi loquendo de N. opinione minùs probabili, nempe posse quæstionem directam esse probabilem, & reflexam supra illam esse certò falsam: immò quod dixi de probabiliori, aut securiori opinione, posse quæstionem directam esse probabiliozem, aut securiozem; & quæstionem reflexam esse certò improbabilem; dico hoc ipsum distingui posse in opinione evidenter licitâ, cui si nova circumstantia addatur, fieri potest evidenter illicita: ex. gr. Est evidenter licitum posse infirmum die veneris edere carnes: ergo est licitum hoc ipsum Carthusiano. Consequentia est evidenter falsa; quia non est probabile licere id, quod est certò contrarium voto Carthusiani. Constat igitur in pluribus materijs diligenter distinguendam quæstionem directam à reflexâ, cui reflexæ, si nova circumstantia tollens probabilitatem, aut probabilitatem, aut evidentiam quæstionis directæ superaddatur, non valet à directâ ad reflexam. Hinc P. Card. tom. 3. d. 55. n. 13. ait, doctrinam de probabilitate esse tenuissimam in praxi, si rectè intelligatur; attamen non rectè intelligi ab im-

ab impugnantibus, immo ait n. 23. nec a pluribus propugnatoribus. ab illis, qui confundunt propositionem directam probabilem cum reflexa supra probabilitatem, qua reflexa saepe non est probabilis, & ideo concedunt plurimum omnino laxa: ab illis, qui confundunt opinionem probabilem directam cum reflexa non probabili, & quia imponit nobis, qua non docemus. Idem repetit l. c. d. 56. n. 92. dicens; quaestionem de licito usu cuiusvis opinionis probabilis practice non bene intelligi non tantum ab Adversariis, sed etiam a Propugnatoribus; Adversarij enim non penetrant nostram sententiam, quia quod nos dicimus de opinione tantum practice probabili, putant nos dicere de non practice probabili: sed hoc faciunt Adversarij: ergo Minor probatur; quia nostra sententia loquitur de opinione practice probabili, seu qua dicitur, quid liceat, quid non liceat: sed Adversarij putant nos loqui de speculative probabili, qua non dicitur, quid liceat, qualis est hec. Hoc objectum est probabiliter fera; ergo nos non impugnant. Et ideo idem P. Card. n. 107. asserit, inanes esse Adversariorum conatus; ut enim Judex damnare non potest reum incognita causa, ita implicat, ut doctrina Scholastica damnetur ea incognita: sed Adversarij non cognoscunt nostrae doctrine sensum; ergo eam scholasticè damnare nequeunt.

§. II.

Relique advertentie.

SUMMARIUM.

Quantum errent, qui quaestionem reflexam de licito usu minus probabilis resolvunt per probabilitatem quaestionis directae; ex. gr. est probabiliter fera, aqua, Venus, &c. ergo licet jaculari, baptizare, damnare, &c. n. 15.
 Probabilitas de valore aquae, de hominis reatu, &c. est pure speculativa, n. 16.
 Tam certa est nostra responsio, ut nisi ea utantur Adversarij, tueri non poterunt licere iuriorum, aut probabiliorum, n. 17. ad 21.
 Potest saepe per novam legem tolli ab opinione probabilitas, & probabilitas, n. 22.
 Aliter possum ab omni argumento me liberare, dicendo, me non teneri ad casus particulares solvendas, in quibus nulla adest minus probabilis, n. 23. 24.
 Nostra sententia est universaliter vera in omni materia, in qua adest opinio minus, certo tamen practice probabilis: an autem deur in omni, non est a me examinandum, n. 25. 26. 27.

Qui aliquam licitam doctrinam, non peccat, si universaliter asserendo licere in omni materia, sed in asserendo dari in hac, aut illa cum nulla practice probabilis daretur, ibid.

Adverte 4. ad maiorem explicationem eorum, qua dixi in 2. advert. quod si qua est in Theologia quaestio difficilis, & implexa, est quaestio de probabilitate; quia cum intellectus obligetur supra suos actus reflectere, iterumque reflectere, eget summa peripicacia, ne quaestionem reflexam de probabilitate, per quaestionem directam probabilitatem resolvat. Haec enim quaestio, an liceat usus opinionis certo probabilis practice, est tota reflexa: si autem reflexa est, accidit saepe, ut quod est directe probabile, immo probabilius, non sit reflexe probabile, immo improbabile: ex. gr. est directe probabile pharmacum A esse salubre, objectum A esse feram, liquorem A esse aquam; non tamen est reflexe probabile me posse prescribere pharmacum A, me posse jaculari in objectum A, me posse baptizare in liquore A; nam aliud est, an objectum A sit homo, aliud an possim in objectum A, quod probabiliter non est homo, jaculari; aliud est, an pharmacum A sit venenum; aliud an prescribere pharmaco certo, possim licite prescribere pharmacum A, quod probabiliter tantum puto non esse venenum; aliud est, an liquor A sit aqua; aliud, an praesente liquore, qui est certo aqua, possim licite baptizare in liquore A, qui probabiliter tantum est aqua. Resolvere autem quaestionem reflexam de probabilitate reflexa per probabilitatem directam, seu resolvere, quod sit probabile me posse jaculari in objectum, quod probabiliter tantum est fera; quia est probabile esse feram; & resolvere, quod sit probabile me posse conficere Baptismum in liquore, qui probabiliter est aqua, quia probabile est esse aquam; est palpabiliter errare: non minus, quam qui reflectens per actum evidentem supra actum erroris, inferret, quod intellectus reflexe erraret, quia habet pro objecto errorem: aut contra Hereticum errans circa textum Scripturae verum, inferret se dicere verum per actum reflexum falsum, seu per haeresim, quia habet pro objecto textum Scripturae verum, aut actum Catholici verum. In nostro casu probabilitas est in opinione directae; in reflexa autem nulla est probabilitas: licet enim probabile sit, pharmacum A non esse venenum, non tamen est probabile, quod propinari possit pharmacum putatum probabiliter venenum, & non venenum: licet sit probabile objectum A esse feram,

N. 15. M. 51

M. 51

M. 51

M. 51

feram, non tamen est probabile, quòd possit emitti sagitta in objectum putatum probabiliter feram: licet probabile sit liquorem A esse aquam, non tamen est probabile, quòd presente aqua certà confici possit Baptismus in liquore putato probabiliter tantum aqua.

N.
16.

Ecce igitur quantum devient, qui ex probabilitate speculativa directà objecti inferre conantur in omni materià probabilitatem practicam reflexam de licentià actionis circa hoc, aut illud objectum judicatum probabiliter tale, aut quale, cum saepe contra reflexam probabilitatem adfit certum argumentum, aut præceptum tollens omnem probabilitatem reflexam; ut in casibus adductis præcepta religionis, aut charitatis, quæ obligant, ne conficiam Baptismus in liquore, qui probabiliter tantum est aqua, & ne propinam pharmacum, quod probabiliter tantum non est venenum. Hinc scitè monuit P. D. Thyrsus d. 10. n. 19. loquendum

P. Thyrs.

semper de probabilitate practicà, quæ immediatè veritatur circa licitum, non de speculativà, quæ veritatur circa res, aut earum naturam, aut sufficientiam ad valorem Sacramentorum... *in his enim nulla probabilitas sufficit, sed certi esse debemus, non esse hominem, sed feram, ut jaculemur.* Idem exprimit Palanco *qu. 28. art. 4. n. 204.* dicens,

Palanco.

Probabilitas opinionum de valore Sacramentorum, & essentià contractum est purè speculativa, quia non ostendit, an talis contractus ita benè, vel malè fiat, an tale Sacramentum ita benè, vel malè conficiatur, sed an ita sit verum, vel falsum Sacramentum, validum, vel nullum: ergo opinio dicens Baptismus in lixivio esse validum, est quidem probabilis speculativè, sed non practicè, quia dicit tale Sacramentum esse verum, sed non dicit esse bonum ita facere. Hæc Palanco.

N.
17.

Adverte §. doctrinam hoc, & antecedenti §. traditam esse mihi adeo certam, ut non aliter Adversarij defendere possint licitum usum opinionis probabilioris, aut tutioris, nisi eà utantur: Dum enim argumenta, quæ in nos trahunt, in eosdem evidenter retorqueantur, nec aliter ea solvendo satis esse possint, nisi nostrà doctrinà utantur, consequenter adductam doctrinam approbare debent. Si autem eam approbare, & eà uti debent, hinc facile colligere est quàm certa sit nostrà doctrina de licito usu cujusvis opinionis certò probabilis practicè, cum robustiora in nos argumenta eadem solutione gaudeant, quæ gaudent retorta à nobis in Adversarios argumenta; immò conjicere est, quàm infirma sint, cum eodem impetu, quo nostram

de licito usu cujusvis opinionis, eodem profus impetu feriant Probabilioristarum, aut Tutoristarum sententiam. Ut autem fidem meam evidenter liberem, propono argumentum Adversariorum contra nos; & quod de uno dico, dictum sit de omni. Rursum propono nostram ejusdem argumenti in Adversarios retorsionem; & peto ejus ab ipsidem solutionem; nec aliam dare poterunt, quam eam, quæ nos utimur. Ex quo constabit quàm infeliciter sibi plaudant Adversarij, & singulariter M. Baro, qui putat nos argumentis subjiciendis, veluti classem tempestate dejectam agitari.

Ecce igitur argumentum Adversariorum contra nos: Si licet sequi quamlibet opinionem practicè probabilem, licebit venatori jaculari in objectum, quod probabiliter tantum est fera, esto probabilis sit homo: licebit medico præscribere pharmacum, quod probabiliter tantum est profuturum, esto probabilis sit venenum: licet Sacerdoti ministrare Baptismus in liquore, qui probabiliter tantum est aqua, esto probabilis sit non aqua; sed hæc sunt certò falsa: ergo non licet usus cujusvis opinionis practicè probabilis in omni materià.

Ecce evidens retorsio contra Adversarios: Si licet sequi quamlibet opinionem practicè probabiliorē, licebit venatori jaculari in objectum, quod probabilis est fera, esto probabiliter sit homo: licebit medico præscribere pharmacum, quod probabilis non est venenum, esto probabiliter sit venenum: licebit Sacerdote ministrare Baptismus in liquore, qui probabilis est aqua, esto probabiliter sit non aqua: sed hæc sunt certò falsa; nam præceptum charitatis vetat venatori, ne jaculetur; & medico ne utatur pharmacum, quod probabilis est non venenum, quàm venenum, si adfit aliud pharmacum certum; & præceptum religionis simul, & charitatis vetat Sacerdoti, ne utatur liquore, qui probabilis est aqua, quàm non aqua, si adfit aqua certa, & non adfit urgens necessitas: ergo non licet sequi opinionem probabiliorē in omni materià.

Modò peto ab Adversarijs solutionem. Utique aliam dare non poterunt, quàm nostram, dicendo, primò, non valere argumentum à probabilitate speculativa ad practicam; quòd enim liquor A sit probabilis aqua, non est nisi probabilitas speculativa: eorum autem sententia loquitur de practicà; dicit enim licere in omni materià sequi practicam probabilitatem. Ita ego dico, non tenere argumentum à probabilitate, immò nec à probabilitate speculativa

tiva ad probabilitatē practicā; quod enim liquor A fit probabiliter aqua; pharmacum A fit probabiliter salubre; objectum A fit probabiliter facta, est probabilitas speculativa; nostra autem conclusio loquitur de practica, docet enim licere in omni materia, ubi datur, sequi certam probabilitatem practicam. Secundō dicendo non valere argumentum à probabilitate directā ad probabilitatem reflexam, si reflexa superaddat circumstantiam, quam non habet directā: quod enim liquor A fit probabilius aqua, est probabilitas directā, ex quā non sequitur, quod probabilius fit licere uti liquore, qui probabilius est aqua, præsentē aquā certā. Ita dico ego non valere argumentum à probabilitate directā ad reflexam, si hæc superaddat novam circumstantiam, quam utique superaddit. Quod enim liquor A fit probabilior aqua, est probabilitas directā; ex quā non sequitur, quod sit reflexē probabile, licere uti liquore probabiliter aquā, præsentē aquā certā; immo est reflexē improbabile; nam certum est ex religionis, & charitatis præcepto, non licere uti aquā probabiliter, immo probabilius aqua: probabilitas enim reflexa habet contra se certum præceptum, quod tollit omnem probabilitatem practicā reflexam.

N. Adverte 6. ex his duo deduci. Primum est nostræ doctrinæ soliditas, quæ tanta est, ut nisi eā Adversarij utantur, suæ doctrinæ defendendæ satis non sint, nec à nostrā retorsione liberari possint. Quare non modicas nostræ doctrinæ gratias rependere debent, quod solutionem exhibeat proprijs argumentis à nobis in Advertarios retortis; quæ si non solvant, propriam sententiam de licito ulu opinionis practicæ probabilioris in omni materia defendere non possunt. Secundum est, quod eò ipso, quod datur præceptum, aut principium certum tollens ab aliqua opinione probabilitatem, eò ipso illa non est minus tuta, & minus probabilis, sed nec est tuta, nec est probabilis; & opposita non est probabilior, & tutior, sed est unice tuta, & unice probabilis. Ex quo sequitur, si acutē, & verē loquamur, numquam datur præceptum sequendi tutiorem, & probabiliorē. Ratio est; quia eò ipso, quod præceptum obligat ad opinionem A, eò ipso tollit securitatem, & probabilitatem ab opinione B oppositā: si autem tollit, eò ipso opinio B, nec est tuta, nec est probabilis: & opinio A, nec est tutior, nec probabilior: sed opinio A, est unice tuta, & unice probabilis; & opinio B est non tuta, & non probabilis. Quare eā proposito, Datur in aliquibus materijs præ-

ceptum sequendi tutiorem, & probabiliorē, duplicem sensum habere potest; eò modo, quo dixi tr. r. d. 1. sect. 3. ubi examinavi an opinio probabilis fieri possit improbabilis; & distinxī duplicem sensum; unum sensum compositi, alium sensus divisi: dixi etiam de hæc propositione, excus videt, mutus loquitur; iunt enim veræ in sensu diviso, & intelligendæ cum terminorum distractione; non autem in composito; id est, ille, qui fuit cæcus, videt: ita in casu nostro duplex est sensus, unus est sensus compositus præcepti cum probabilitate, & tutioritate; alter est sensus divisi præcepti à probabilitate, & tutioritate. Explico: si sensus sit, Sequenda est aliquando opinio, quæ divisa à præcepto erit tutior, & probabilior, verum est. Similiter si sensus sit, Omittenda est opinio, quæ divisa à præcepto est minus tuta, & minus probabilis, verum etiam est. Si autem sensus sit, Sequenda est aliquando opinio, quæ stante præcepto est tutior, & probabilior, & omittenda est aliquando opinio, quæ stante præcepto est minus tuta, & minus probabilis, falsum est; immo est de subiecto non supponente; supponit enim, quod stante præcepto una opinio sit tutior, & probabilior, & ejus opposita sit minus tuta, & minus probabilis; quod utrumque est falsum; nam opinio præcepta est unice tuta, & unice probabilis, & opinio vetita nec est tuta, nec est probabilis.

Confirmo: Fac, ut quis exponat hanc N. conclusionem: Evidenter in omni materia licitum est semper licitum, & quo nil verius. Rursus fac, ut quis contra eam ita arguat: Datur aliquando præceptum omittendi id quod est evidenter licitum: ergo quod est evidenter licitum, non semper est licitum: ergo falsum est, quod id, quod in omni materia est licitum, sit semper licitum. Antecedens est certum; nam matrimonium est evidenter licitum; esus carnis die veneris infirmo est evidenter licitus; & tamen matrimonium non est licitum Religioso claustrali; nec esus carnis die veneris infirmo Carthusiano. Modò quero 1. ab Adversarijs, an qui ita argueret, bene argueret? Utique negabunt: ergo (infero ego) male etiam arguunt contra nos Adversarij, dum ita arguunt: Datur aliquando præceptum omittendi minus probabile: ergo minus probabile non semper licet: ergo falsum est licere in omni materia nisi opinione probabili. Quero 2. cur ille male argueret? Utique quia sensum compositum confundit cum diviso: ita dico in casu nostro. Quero 3. & rogo, ut argumento respondeant. Utique ita distinguunt: Datur aliquando præceptum omittendi id, quod secluso præcepto est evidenter licitum, concedent; quod stante

stante praecepto vetante est evidenter licitum, negabunt suppositum antecedens; vel brevius, concedent antecedens, & negabunt utramque consequentiam; quia evidenter licitum, quoties manet licitum, (manet autem quoties non advenit nova prohibitio) est semper licitum. Ita in casu nostro potest vel transmitti vel distingui antecedens: Datur aliquando praeceptum omitendi id, quod secluso praecepto vetante est, aut esse potest minus probabile practice; & datur praeceptum faciendi id, quod seclusa lege praeceptante est, aut esse potest magis practice tutum, & magis practice probabile, concedo; datur aliquando praeceptum omitendi id, quod stante lege vetante est adhuc minus practice probabile; & stante lege praeceptante est adhuc practice tutius, & probabilius, nego suppositum antecedens, & utramque consequentiam. Negavi suppositum; quia arguens supponit, quod minus probabile practice, positâ lege vetante, sit adhuc minus probabile, quod implicat in terminis; & quod practice probabilius, positâ lege praeceptante, sit adhuc probabilius, & tutius, quod etiam implicat in terminis; nam minus probabile practice, accedente lege vetante, non est amplius probabile, nec tutum; immo si lex de novo vetans certò constet, est improbabile, & non tutum: & practice probabilius, & tutius, adveniente lege illud praeceptante, non est amplius probabilius, & tutius, sed est unice probabile, & unice tutum; & si lex praeceptans certo constet, est certum, & unice tutum. Idem dici posset, si daretur lex vetans tutius, & probabilius; tunc enim tutius, & probabilius esset non tutum, & non probabile: & econtra si daretur lex praeceptans minus tutum, & minus probabile, tunc minus tutum, & minus probabile esset unice tutum, & unice probabile.

N.
23.

Adverte 7. quod si uno ictu truncare vellem omnia argumenta ex singularibus casibus paulò pôit nobis objicienda, dicere facile possem, quod ego, qui defendo licitum esse in omni materiâ usum cujusvis opinionis certò probabilis practice, ubi hæc datur, quia licitum in omni materiâ est operari prudenter; dicere, inquam, possem, quod non tenear ad casus particulares descendere: si enim in aliquo casu, & materiâ particulari non licet, nil contra me; nam quando ego dico, *licere in omni materiâ, ubi datur opinio certò probabilis practice*, suppono utique in ea omni licere, in quâ non vetatur usus opinionis minus probabilis; quod si in aliquâ vetatur, eò ipso talis opinio non est amplius minus probabilis, sed est non probabilis, ut dixi in *Advert. 6.* quo modo qui dicit, *Li-*

cet in omni materiâ evidenter licitum, supponit licere, quoties non vetatur; quod si vetetur, eò ipso non est licitum. Quapropter cur in materiâ fidei, religionis, justitiae, & alijs non liceat, non est meum examinare; mihi satis est dicere, licere in omni materiâ, in quâ datur opinio minus probabilis practice, seu in quâ non datur praeceptum obligans ad tutiorem, & probabiliorem. Atque adeo possem, ut patet, unico saltu transmittere omnes casus adducendos, quatenus si in illis non licet sequi minus probabilem, erit quia in illis dabitur praeceptum obligans ad tutius, & probabilius; & in illis nulla minus probabilis erit probabilis; & negare consequentiam; & adhuc nostra conclusio universalissima, *Licet in omni materiâ, ubi datur, sequi minus probabilem practice*, erit verissima, quia etiam in aliquibus materijs non liceat, est, quia in illis minus probabilis practice, non est amplius tuta, nec probabilis, positâ lege obligante ad tutius, aut probabilius: eò modo, quo etiam in aliquo casu non liceat evidenter licitum, est, quia accedit nova lex illud vetans; per hoc autem quod evidenter licitum in aliquo casu, nempe mutatis circumstantijs non liceat; non fit, non esse universaliter verum hoc antecedens, Est licitum evidenter licitum.

Ratio est; quia sicut qui dicit, *Licet semper, & in omni materiâ id, quod est evidenter licitum*, supponit, quod licitum maneat licitum, & quod non accedat nova lex illud illicitans; ita qui dicit, *Licet in omni materiâ minus probabile*, supponit, quod minus probabile practice, maneat minus probabile practice, & quod non accedat nova lex tollens illam minorem practicam probabilitatem, quam habebat. Atque adeo ad hoc enthymema, *Non licet in materiâ fidei, ergo non licet in omni*: distingo antecedens: Non licet in materiâ fidei, & tunc opinio minus probabilis practice retinet suam probabilitatem practicam, nego; & tunc non retinet, concedo antecedens; & nego consequentiam. Etenim dixi licere in omni materiâ, ubi datur, opinionem minus probabilem practice, seu quoties retinet suam minorem practicam probabilitatem; retinet autem quoties nulla nova lex reflexa accedit, illam vetans, & obligans ad tutiorem; hæc autem accedit, ut in aliquibus materijs hæc nova lex accedat; eò modo, quo hoc antecedens, Non licet esus carnis Carthusiano, nec matrimonium initiato Ordine maiori, ergo non licet semper evidenter licitum; distinguendum esset: Non licet esus carnis; & tunc esus retinet respectu Carthusiani suam licentiam,

centiam, nego; & non retinet, concedo antecedens, & nego consequentiam: qui enim dicit licere semper evidenter licitum, dicit, quoties manet tale, non quoties accedit nova lex illud illicitans. Hinc appositè dixi *d. 11. n. 2.* semper, & in omni materia, ubi opinio practicè certò probabilis adest, licet sequi minus tutam minus probabilem, quoties minus tuta minus probabilis, stante adhuc maiori probabilitate objectivâ opinionis oppositæ, retinet suam securitatem, & practicam probabilitatem; porro eam retinet, quoties nulla hic, & nunc nova lex, aut quasi lex, seu præceptum, aut votum accedit; qui enim iniret votum non sequendi illam, eo ipso suam probabilitatem practicam amitteret.

N. Adverte 8. quòd quotquot ex nostræ sententiæ Patronis aliquam opinionem laxam docuerunt, non peccarunt in eo, quòd nostram sententiam de licito usu cuiusvis opinionis minus probabilis practicè in omni materia defenderint; sed peccarunt in casibus singularibus, quibus probabilitatem dederunt, cum tamen omni destituerentur. Ita contingit illis, qui docent licitum esse baptizare in materia, aut forma probabiliter tantum, immò probabilius validâ, præsentem materiâ, & formâ certâ; peccant enim docendo hoc esse licitum, cum hoc sit certò illicitum; non autem peccant in docendo licitum usum minus probabilis in omni materia: eo modo, quo qui iudicat Petrum non teneri ad jejunium, cum reverâ teneatur, non peccat, in hac maiori universaliter verâ, Nullus graviter infirmus tenetur ad jejunium; sed in minori, quatenus sine fundamento asserit Petrum esse graviter infirmum; quare qui in hoc casu conscientiam laxat, est medicus, non Theologus, cujus maior est vera. Similiter eligens minus dignum putans ex errore vincibili digniorem, ille eligens peccat, non Theologus tradens eligendum digniorem. Ita contingit in præsentibus: quotquot docent opiniones laxas in hac, aut illâ materiâ, illi errant, & peccant, quatenus dant probabilitatem, aut probabilioritatem opinioni, quæ caret utraq; nec considerant omnes circumstantias directas, & reflexas, & proprias cuiusque materiæ; non autem peccant, qui docent licitum sequi in omni materiâ minus probabilem, ubi datur: atque adeo nulla potest refundi culpa in Probabilitatis, aut Probabilioritatis doctrinam, sed in Probabilistam, aut Probabilioristam, dantes probabilitatem, aut probabilioritatem opinioni, omni probabilitate destituta.

Quapropter iterum dico, quòd tam in materia fidei, quam morum, adeoque in omni materia licitum sit sequi quamlibet opinionem probabilem practicè, quoties talis opinio ibi datur, seu quoties ea opinio retinet suam practicam probabilitatem; retinet autem quoties non accedit novum præceptum reflexum obligans eligere tutiorem, aut probabilioritatem; quandoniam autem, & in quibus materijs accedat, non est meum examinare. Æquivocum est, quòd plures ex nostræ sententiæ Patronis, & omnes Adversarij putant, quòd plures opiniones in sequentibus argumentis adducenda sint, & a nobis asserantur ut probabiles practicè, quòd falsum est; etsi enim ab aliquibus Probabilistis asserantur probabiles, à nobis tamen profus negatur. Rursus æquivocum etiam est, quòd tam aliqui Probabilistæ, quam plerique Probabilioristæ confundant probabilitatem, immò probabilioritatem directam, quæ sæpe non est ad rem, cum sit circa objectum, quòd non est praxis, cum probabilitate reflexâ: vel si est circa objectum, quòd est praxis, non considerant præceptum reflexum eam probabilem hic, & nunc non sequendâ; & sic eò ipso opinio, quæ divisa à præcepto vetante erat probabilis, aut probabilior, aut evidenter licita, posita prohibitione non est amplius talis. Satis est recolere, quæ dixi de necessitate distinguendi quæstionem directam à reflexâ: directâ est, an Baptismus in lixivio sit validus? Do esse utramque probabilem; immò do opinionem affirmantem esse probabilioritatem. Reflexa est, an dato, quòd Baptismus in lixivio sit probabilius validus, liceat, seclusâ necessitate, præsentem aquâ certâ, in lixivio baptizare? quæ secunda quæstio non est utrumque probabilis; immò certum est non licere, non tantum quia adest præceptum charitatis obligans ne exponam puerum periculo non Baptismi; sed etiam quia adest præceptum religionis obligans, ne Sacramenta exponam frustrationi: immò etsi quis per errorem invincibilem crederet licitum esse Baptismum in lixivio, præsentem aquâ certâ, non facit validum Baptismum, si lixivium coram Deo, & in re non est aqua; nam illius intentio, etsi sancta, & ille error, etsi invincibilis, non mutat lixivium in aquam, esto ea sancta intentio, & error invincibilis faciat, ne peccet taliter baptizans.